

—̄—̄

RIBBUI

In

BARA ELOHIM

Seu

De

Pluralitate quæ continetur in locu-
tione illa Bara Elohim Gen. I. v. 1.

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ PHILOLOGICA

Indultu Ampl. FACULT. PHILOS.

In Regia Academia Aboënsi,

Examini placido *Φιλολογικῶν*
publice delata;

P R Æ S I D E

M. D A V I D E P R O D /

Prof. Phil. Extraord:

R E S P O N D E N T E

J O A C H I M O F E S T J O N G /

Aboënsi

In Audit. Max. ad diem 5. Junij 1686.

~~~~~ \*\* ~~~~~

Impr. apud JOH. LAURENTII WALLIUM,  
Regiæ Univ. ibid. Typogr.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

MAGNÆ FIDEI VIRO

SECRETARIO EXIMIO

GENEROSO AC NOBILISSIMO

DOMINO

DN. SAMUELI

VRERHJELAN/

STUDIORUM FAUTORI SUMME

PROPENSO

DOMINO MEO

BENIGNO.



GENEROSE ET NOBILISSIME DOMINE



antillum opera Nomini Tuo  
Generose Domine factu-  
rus sacrum, ejusdemque  
nobilitate illustraturus,  
nec meum factū formulis

selectis excusabo, nec Tuam adeo humanam  
& moderatam patientiam, magnifico ver-  
borum apparatu celebrabo. Ceu hoc non fe-  
ret cordata Tua, eximia humanitati nusquam  
cedens gravitas; ita illud diluet sollicitudo  
ista quā dstringor, donec monumentum grati-  
tudinis meæ, futurum accepti favoris perpe-  
tuum recordationis documentum, ponere que-  
am & relinquere publicè. Honestas artes,  
literarum studia, & his devotos amare; exi-  
gua etiam in illis, ut ad uberius perveniant  
incrementum, favorabilibus accendere stimu-  
lis; ut & conatus honestos omni favore pro-  
movere; res est immortalī laude memoran-  
da. Ista omnia domesticas Tuas esse Virtu-  
tes, meæ etiam tenuitati cum declaraveris  
diu & generosè, ac indies magis magisq; ad-  
pro

probes Generose Domine; Et gloriam Tuam  
clarius exponis, Et ut eterna encomia cum  
obsequiis assiduis debeam, efficis. Agnosco  
debitum summum, cui exsolvendo non sufficio:  
illud tamen ut facere queam, ex omni anni-  
tar studio. Et quum exiguae vires non sunt  
admissurae, ut morem geram voluntati; vo-  
luntate qua sola possum, ero solertissimus.  
Offero in praesentia exilem foetum, qui in scho-  
la provenit umbra. Sistitur ille ut devoti  
studii agat interpretem. Si benignitatis so-  
lita aura, uti spes certa mihi affirmat, Et  
ego nunc contendo submissè, eidem adspirave-  
rit, faustum illud erit tractandis laboribus  
omen. Primum autem hostimentum, post qua-  
esitam reverentiae gloriam, quo vices rependā-  
tur tanta Et tam exoptabilis propensionis,  
a me proficiscetur pium votum, ut agas Ge-  
nerose Domine longum viridis, ita, dirigente  
Deo, secundante fortunam, comitante salute,  
DEO, Regi, Patriae, Tibi, Tuis carissimus, feli-  
cissimus!

GENEROSI NOMINIS TUI

Cultor submissus

D. G.

**E**xperientia ductum sequutus est Philoso-  
phus dum ista pronuntiavit: Καὶ τὸ μακ-  
θάνειν ἢ τὸ θαυμάζειν ἡδὺ ὡς ἴπὶ τὸ πλὺ.  
Et discere & admirari jucundum est plerumq.  
Experitur enim quilibet qui sponte suâ, alieno  
imperio non adactus, incidit in tales occasio-  
nes, aut eas opportunè nanciscitur, quibus do-  
ctrina & admirationis ansa suppeditatur, ni-  
mium quantum tunc affici animum atq; concit-  
tari. Excipit omnia aviditate summa, recon-  
dēs ea fide si fieri potest infallibili, persuasus, pa-  
bulo gratiori se & motus suos non posse ali aut  
sustentari. Ingentem voluptatem, qua hinc sub-  
nascitur, pro stipendio habet laboris, si aliquem  
debit aliquando sufferre, nec aliis premiis  
cura distringitur. Rapitur a deo potius quam  
fertur mens in admirationem, quam excitas  
conjuncta semper cupiditas. Ad scientiam v. in-  
stinctu quodā naturali agitur, quem validè ex-  
terna etiam rerum facies urget atq; promovet.  
Non abhorret ab hoc, quod observamus in pro-  
prio instituto. Instigat innata quadam vi mo-  
ta disciplina. Ex spectaculo pro funditatis & ex-  
cellentie oblata rei considerande, exoritur ad-  
miratio. Trahit illa secum cupiditatem. Hanc  
sequitur studiū nullis difficultatum terricula-  
mentis impeditum. Socio hoc rerum nexu,  
tractandum adsumsimus quod facies pagelle  
pri-

prima representat. Singulare eximium vel no-  
 vum promitti nequeunt. Valeat supervaca-  
 nea novitas, cum sit quod rimemur in antiquis.  
 Excelsa moliri ingeniorum est sublimiorum,  
 quæ si darentur, in hoc articulo dexteritatem  
 suam, ob hujus anguli habitum, forte etiam  
 cobibere necessum haberent. Non tamen frustra-  
 neam planè esse hanc opellam, affirmat spes con-  
 cepta. Vestibulum cum tantos thesauros ostendit,  
 augustissimum Scripturæ atrium quantum  
 erit gazophylacium. Hujus gaze si quidquam  
 hic possit cuiquam infundere amorem, desiderium,  
 admirationem, voto nostro fruimur. Ita enim  
 divini nominis gloriam cernemus intendi, quod  
 ipsum liberali aliquo exercitio consequi, apex  
 erit & fastigium omnis honesti conatus. Aliàs  
 etiam versiculum illum, proverbio veteri tri-  
 tum, facio meum:

Πολλάκι κ' κηπὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν,

Sæpe etiã est olitor valde opportuna locutus.  
 Imposterum quoq; tentandum aliquid cum Deo.  
 Ne vero quidquã inordinatum aut incompositum  
 in medium projiceremus, ita instruximus œcono-  
 miam ut pateant natura & deductio vocum; si-  
 stantur rationes concisè quæ pluralitatem in E-  
 lobim evincant; dispungantur deniq; dubia quæ  
 assertum sollicitare videntur. Ista ut expedian-  
 tur feliciter, ex ἑρανοῖς devotissimè exoptamus  
 Stylum Scribæ velocis!

CONCL.



## CONCL. I.

**C**onducet alicubi instituto nostro, sub initium statim, ad considerationem constructionis, quam occupare placuit hac vice, titulos duos, quoad natales suos expendisse. Primi quidem res est planior, utpote constantis & propositi ipsâ radicali formâ quæ est BARA, cuius vocis sensus diversos, diversis in formis, Lexicographorum, Schindleri, Castelli, Buxtorffii & aliorum industria laudabilis, abundè suppeditabit; confirmabit vero exemplorum adducta iisdem copia. Ipsorum unus in præsentia arripiendus, qui nempe huc quadrat, & effertur *Creavit*, notione hîc loci productionem talem innuente, quam effectus sequitur, ex nulla ne inhabili quidem materia formatus. Quod dum affirmatur, nequaquam inficiandum est, ut accuratè monet Doct. Pheifferus in Dubiis suis vexatis, vocem BARA

A

de illis

de illis etiam efferrerebus, quæ non explanè nihil, sed rudi & quoad se infirmi, ineptoq; principio quod ad opus ex se efficiendum, sunt efformatæ, hoc est si Scholasticos amas terminos: vox *creavit* non semper præsupponit *nihil negativum*, sed quandoque etiam *nihil privativum*, ut nihil utroq; modo sumptum sit terminus creationis à quo, juxta quam expositionem admittitur illud Rabb nis frequentatum: HABBერი JAH HOZI MEA **IN** hoc est: Creatio procedit à non ente. quod est judicium Aug. Varen. Doct. accuratissimi. Neque abit à mente aliorum suæ gentis Rab. Selemon Ben Melech, qui in suo Miclal Jophi, in nostrum locum, hoc fere verborum sensu, ni fallor, commentatur: Omnis vox creationis renovat sive creaturam aliquam, quæ procedit à non ente ad ens.

CONCL.2. Gemella huic signa quæ dantenus sunt, observatis observandis, ASAH BANAH JAZAR quæ tamen, quoad indiversum à se invicem abeunt, ex Be-  
ato



ato Var. cognoscuntur, qui ea luculenter  
 exponit. Qvò vero quoddammodo  
 habeantur, illius commentationem co-  
 arctabimus. ASAH ordinationem  
 & perfectionem rei creatæ involvit:  
 JAZAR admirabilem structuram expri-  
 mit, & singularem figurationem quæ  
 in hominibus est conspicua; ad quam  
 vocem refertur BANAH, quo creatio in-  
 ducitur, quæ incomparabili formæ ar-  
 tificio, addit intellectus & rationis glo-  
 riam; & hujus notionis usus eviden-  
 ter dispalescit in formatione sexus se-  
 quioris, seu primæ Matris ex costa vi-  
 ri Gen. II. 22.

CONCL. 3. Respondet vero in Chald.  
 nostro BARA vox formæ Peal, iisdem  
 constans consonis, sed punctis quoad  
 primam Syllabam differentibus, cum  
 Schva, illi juxta lingvæ genium subji-  
 ciatur, ut BERA ubi *Kameiz* etiam est sub  
 radicali secunda pro ordinario *Paalith*,  
 propter anomalam 3. radicalis ALEPH,  
 quæ etiam terminationem in Chirek  
 sæpius habet, desinens quoq; nonnun-

quã in Jod quiescens in Tzere, quod ubi, quibus in scriptis usu veniat, petatur ex Chald. Opitii pag. 99. & seq. Neque multo aliter se habet verbum respondens in Syra, BERO, quod itidem ob tertiam literam gutturalem Olaph anomaliã est affectum, & pro regulari terminatione in Pethoco, notatur Sekopho, in conjugatione prima Peal, ubi etiam ob eandem causam terminatio in Chebhotzo obtinet; qua de re si lubet consulatur Opitius, qui in Syriacismo suo accuratissimè hanc, ut alias irregularitates persequitur p. 108. & sequent. Habent etiam nonnulla huc quæ faciunt Sennertus in Harm. Chald. & Syriacismi pag. 78 & Leusdenius in schola Syriaca pag. 131. ubi ipsum paradigma hujus anomalix exhibet, & alii passim, uti Crinesius, Dilherrus &c. Exprimit hanc vocem Arabs suo CHALAKA in conjugatione inter 13 prima, nuda & simplicissima, quod & varios, pro vario positu, constructionis & punctorum, induit significatus, quorum non-

nonnulli benè huc spectant, ut Creavit, efformavit. &c: Videantur cætera in Lexico Golii arabico, ut & Raphelen- gio. 70 Interp. per ἐπίησι rem explana- runt, cui vocabulo significatione con- venit πλάζειν.

CONCL. 4. Numerus unitatis plura- lis ELOHIM, ut apparet ex inflexione, est ELOAH, quod etiam cum *Vau* fulcro 78 *Cholem* invenitur. In radice vocis in- quirenda & constituenda discrepantes Philologorum sunt sententiæ. Addu- cit illas atq; examinat Leusd. in Phil. Hebræo dissert. 32. pag. 329. Quapro- pter iis non immorabimur multis, con- tenti asserere istam vero consentaneam, quæ originem, quam sectamur, statuit in hebræo labio ignotam & inusitatam, receptam vero usu, in una filiarum pri- mogenitarum sanctæ istius lingvæ. I- smaelitica enim sive Agarena, ipsam ser- vavit radicem ALEHA quæ exponitur *αδελφικη, coluit*, aliis nunc omissis si- gnificationibus. Est vero originale hoc verbum quoad qualitatem *ἀνώμαλον,*

vulgò imperfectum, & quidem in specie ex Hamzatis, quorum anomaliam ex indole  $\tau\tilde{\delta}$  Elif proveniente, vide declaratam in *Erp. Gramm. Arab.* p. 74, & potissimum ac præprimis in *appēdice Lib. i. de canonibus literarum debilium*. Eleganter ergo, ceu patet, **ELOHIM** una cum appellationibus affinis in lingvis cognatis cæteris, **ALOHO** Syr. Arab. **ILAHON** vel **ALLAHO** formâ peculiari, articulo **AL** cum nomine concrefcente, **Chald. ELAH**, *emphat. ELAHA*, nec sine emphasi summa, **DEUM** ex adorationis cultu insignit; nempe quia is solus, seu ipsum fert nomen, religioso adorationis cultu afficiendus, utpote qui unicè tanquam æternus, infinitus, omnipotens, fundamentum honoris istius religiosi in se continet firmissimum & amplissimum.

**CONCL. 5.** Formam commodam quâ **ELOHIM** ex **ELOAH** inflectitur, demonstrat ni fallor, derivatio non inverfa nec tortuosa, quæ regulariter procedit, singulari adjectâ solum multitudinis

dinis terminatione IM, postquam ex-  
 spirat *patach genubha* more non inu-  
 sitato, dum incrementum fini vocis ac-  
 cedit. Quibus observatis, sponte sua  
 illorum cadit opinio, qui voculam EL  
 singulare 78 ELOHIM esse autumant,  
 quandoquidem si rectè illi calculum  
 posuissent, ex EL non ELOHIM sed  
 ELIM descendere didicissent, quod etiam  
 textus sacri inspectio accuratior incul-  
 care potuisset, ubi non raro 70 ELIM oc-  
 curit, cujus singulare aliud esse non  
 posset quam EL, quod cum ex se fun-  
 deret secundum numerum ELIM, ex e-  
 odem ELOHIM ut plurale, formari non  
 potest. Quin etiam insolens est in  
 Lingua Sancta, vocibus ex singulari in  
 pluralem inflexis, præter terminatio-  
 nes multitudinis, masculinam & fæ-  
 mininam, aliam etiam inferere,  
 literam, quod in ELOHIM factum,  
 necessariò dicendum foret, si ab EL fle-  
 xio illa in pluralem assereretur, quan-  
 doquidem non sola terminatio multi-  
 tudinis, sed alia etiam Litera, HE scilicet  
 accessisset.

Concl.6.

CONCL. 6. Ad nominis etiam faciet illustrationem, hic observasse Judæorum variantem cum Lectionem, tum scriptionem vocis sæpius indigitatæ. Illi enim ut sunt superstitionibus non modo finitimi, sed plane obnoxii, metu prophanationis divini nominis, si frequenter illud & promiscuè usurpetur, nativum ejus sonum, substitutis literis KOPH vel DALETH, immutant. Itaque pro regulari nominis notatione, scribunt Judæi ELODIM & ELOKIM, cujus singulare ipsis est ELOKA, non absimili ratione, quâ in Tetragrammato nomine, medium HE in DALETH convertunt. In hoc autem articulo, acquiescimus judicio gravi Clariss. Leusd. quod exhibet in Jona suo illustrato, pag. 76 *Absurdi sunt Judæi si non superstitiosi, quod pro libertate sua ita nomina divina mutant, volunt vitare prophanationem, sed dum hoc volunt, maxime superstitiosi fiunt, ideo commode Judæis applicari potest illud vulgare: Incidit in Scyl- lam cupiens vitare charibdim.*

CONCL:7.

CONCL. 7. Quandoquidem ex nostro ELOHIM genus ducunt voculæ ἐλωί ἐλωί apud Marcum. Quæritur non immerito, at appositè ad institutum præsens, undenam illæ, & quænam flexionis istius ratio? Ad quod respondendum ἐλωί à chaldaico ELAHI ortū ducere, in quo vocabulo nomen sing. ELAH cum primæ personæ affixo conjungitur. Græci vero cū ignorent in medio dictionis aspirationē, aspiratis literis notatas dictiones, spiritum negligendo, pronunciant. Et quia KAMETZ A impurum ut ω efferunt, ceu ejus loco Hebræi habent cholem, pro Elahi est ἐλωί, quæ est mens Drusii in opusculo, de Elohim. Licet non diffitendum sit, aliud etiam sensisse Doctorem Lightfoot in Hor. Heb. & Talm. ad Cap: 15. Marc. p. m. 667. dum ait: *Marcus secundum præsentem dialectum, Chaldaicam scilicet, pronuntiatione utitur vocis ELAHA, aut saltem secundum pronuntiationem vocis ELOHIM.* Dispalescit adeo ex his etiam ratio inscriptionis ἐλωίµ pro Elohim





ratione neglectâ, siquidem Magistratui & ejus personam gerentibus, ob convenientiam quandam quâ potestatem divinam, quam à DEO adepti, ejus in his terris vicem gerunt, attribuitur, quo etiam illos modo alloquitur ipse DEUS Psal. 82. v. 6. *Ego dixi: Elobim vos estis* Exod. 22. 28. Idolis etiam, ob quandam excellentiam, nonnunquam assignatur, non quod illa ipsis insit, sed quia à cœcis gentilibus, fascinatis Diaboli præstigiis, in esse putatur, unde & dii putatitii dicuntur. *Exempla petantur* Exod. 20. 3. & 20 C. 22. v. 19. 20 C. 23, 13. C: 32. 31. 1. Reg. II: 33. *Eo quod dereliquerunt me & incurvaverunt se Hasstoreth Elobe Sidoniarum.* Ex occasione observamus hic vetustissimos Judæos docuisse, nomini ELOHIM significationem seu mensuram judicii; nomini vero JEHOVAH significationem seu mēsuram RAHHAMIM seu misericordiæ competere. Conferatur Buxtorfius ad vocem ELOAH, ut & Varenius, licet hanc diversitatem improbet Pheiff. loc. 16. quinqv. ag. loc. Ebraic. Concl. 9.

CONCL. 9. Vocabulum cujus non una vice facta est mentio, numeri etiam esse multitudinis, & indigitatum in præcedentibus, & liquet ex re ipsa. Formatur enim ex suo singulari, cui deinde addit terminationem pluralitatis, & quidem Masculinam, quæ ad oculum monstrat initiò statim, terminatione saltem, esse illud plurale, unde supervacaneum fuerat, cum iis hic congregari, qui aut revera negarunt, aut inficiari existimati sunt, vel fanè in dubium revocarunt, utrum pluralis esset hæc vox quoad terminationem. Illud vero nunc rationibus evincendum, utpote in quo res est non nihil operosior, significare nostram vocem non minus, quam terminari pluraliter, ubi licet etiam ratione sui plana sit, sollicitatur tamen non paucis, unde confirmanda est. *Primo* quidem non mediocre momentum adjicit assertioni sensus pluralis, in nomine nostro, ipsum expressum singulare, quod exactè unam rem describit, ceu manifestum fit ex  
 Deu-

Deuter. 32. v. 15. *Et rejecit DEum qui se fabricavit*, nec non similibus aliis plurimis; ut adeo necesse non sit, opposito numero, forma plurali affecto explicitè, naturam singularitatis attribuerè. Solidissimè autem *Secundò* Significatio pluralis τ& Elohim evincitur ex iis locis Sacræ Scripturæ, in quibus non tantum DEum verum sive *Quoræ* denotat, sed & *Deoræ* Diis nuncupativis nempe, ut & fictitiis illis ELILIM tribuitur, in quibus de pluribus prædicatur, quos significare haud quaquam posset, nisi plurale esset, quamobrem quoq; cum eo componuntur epitheta, quæ nulla arte vel modo exponi possunt, nisi per sensum pluralem. Svadet idem firmiter *Tertiò* Sancti hujus labii ratio & indoles simplicissima & planissima, quæ inflexionis perplexæ, atque fundamento causæque certâ destitutæ nescia, eâ quâ prodit fronte, vult excipi ac intelligi. Hanc simplicitatem quadante-nus cum sollicitet etiam, si dicatur pro recepto singulari, ejus plurale sensu unita-

unitatis quandoque venire, non immerito damnatur.

CONCL. 10. Neq; illud in hoc momento prætereundum, Elohim modò plurale, ratione tum sensus tum terminationis dictum, aliquando sub tali forma multitudinis certas ob causas, rei etiam uni ac singulari solere accommodari, quod quidem nec potest nec debet dubio infirmari, suppetente exemplorum copiâ, ampla satis, quæ obortas dubitationis difficultates, expenderit facile, probaverit quoq; validè thesin, dum insignita non pauca nomine Elohim, non sint nisi unum, quibusq; impertiri nequeas ullo modo, vel de iis explicare appellationem istam, nisi illam singularem tum affirmes denominare rem, quod ipsum declaret vel comma 23. Jud. 16. *Et satrapæ Philistinorum congregati sunt ad sacrificandum sacrificium magnum Ledagon Elohehem: Dagone Deo suo,* ubi de Dagone idolo Philistinorum, re nempe una effertur nostrum ELOHIM. Quod ipsum evidentius est

Ex.

Ex:4.16. ubi de Mose ita loquitur Deus:  
 & tu eris ipsi LELOHIM, in Dominum,  
 ubi nequaquam sensus vocis ELOHIM  
 admitti aut explicari potest pluralis,  
 utut forma istius sit numeri. Mosen  
 namq; solum suppositum & personam  
 unā, distinctam ab Arone, & aliis omni-  
 bus, intimatumq; peculiari officio, aliis  
 non communi, liquidissimè indigi-  
 tat. conf. Cap. 7. v. 1. C. 32 v. 31. quorum  
 locorum singulorum ratio est eadem,  
 quantum ad institutum nostrum. At-  
 que hæc omnia ita licet se habeant, di-  
 cendis tamen modo nobis, vocem hanc  
 Deo adscriptam, pluralitatem quandam  
 in ipso notare, nihil quidquam officient,  
 isto accuratè tantum observato, ELQ-  
 HIM singularem rem exprimente, non  
 adhiberi tum in nativo, proprio, pal-  
 mario, ac principali significatu; sed  
 translato ac minus principali, qui pri-  
 mariam ejus significandi vim minimè  
 enervat, nedum evertit. Quin etiam  
 de DEO uno usurpatum, non respicit  
 primò essentiam unicam simplicissimā,  
 sed

sed personas in illa essentia plures; licet & hanc quodammodo innuat, sed consecutivè prout illæ personæ in hac essentia subsistunt.

CONCL. II. Propius nunc accendendum ad rem, & definiendum in illa aliquid certi, dicendum apertè ex natura substratæ rei, ejusque rationibus ELOHIM DEO tributum & hîc loci disertè pluralitatem quandam involvere, ut & singulari junctum, vi istius constructionis, singulare quidpiam in pluralitate indigitare. Præsupponimus l. hic, quæ huc omnino faciunt applicandaq; sunt, nec mediocriter nostram assertionem confirmant, atque superius inculcata sunt de terminatione vocis præsentis, ut & ejus forma singulari, quæ frustra essent utraque, si nihil pluralitatis ex se gigneret ELOHIM, unde prolixius ista inculcare superse-  
demus. Pugnat 2. pro nobis ipsa analogia Grammatica, quæ fundamentum est omnis explicationis probæ. Ipsa vero dilucidè tum confirmat plu-  
ralita-

ralitatem, quam asseruimus, quando  
 consonant numero cum nostro **EI OHIM**  
 omnia, quæ sub ista forma ei apponi  
 possunt, substantiva, adjectiva, verba,  
 pronomina, participia, quæ non raro  
 eidem in sacris adduntur. Quam con-  
 veniëntiam inficiari, vel arguere quoquo  
 modo, seu etiam de ea ambigere velle;  
 foret omnia destruere, fundamenta ip-  
 sa interpretationis planissimæ, plenif-  
 simæ, tutissimæq; convellere, & ex ipso  
 codice hebræo, quovis cothurno ver-  
 satiliorem producere fabulam, quam li-  
 centiam si procederet, nisi veritatis  
 dispendium certissimè sequeretur, om-  
 nia fallerent. Dicta vero, in quibus  
 apposita conspiciuntur pluralia addu-  
 cto plurali, ex sequentibus haberi pos-  
 sunt Jos. ult. v. 19. *Jehova Elohim Kabo-  
 schim hu* His adde post. Samuel. 7. 23. Ps.  
 58: 12. Jer. 10: 10. 23: 36. Illud vero 3. no-  
 stra omnia, rationem proximè præce-  
 dentem, verba nostra, & totam con-  
 structionem, solidissimè non tantum,  
 sed & clarissimè corroborat, quòd in re

ipsa, quam describit nostrum *Bara Elohim*, sit fundamentum illius quod nitimur affirmare, hoc est: ipsa illa pluralitas quam designat *Elohim*, & unitas quam monstrat *Bara*, in Deo nostro glorioso, ceu ejus gratiâ unde sit ipsi gloria, ex sua revelatione, & sanctissimo verbo didicimus, verissime inveniuntur. Unde tantum hoc nobis est momentum, ut sit instar omnium, & jucundissime nostram in proposita constructione tranqvillet sententiam. Ecquid vero absque causa & fortuito, de Deo hujusmodi locutiones usurpatas dicemus? de aliis autem rebus prolatarum, quas non inquirimus, offendimus etiam rationes honorum, distributionis, dignitatum, linguæ & alias.

Concl. 12. Dum semper ut urgere debemus, pro stabiliēda pluralitate quadam in phrasi nostra proposita & similibus aliis, singulari modo de DEO quæ usurpantur, urgemus nativam significandi vocum indolem, tanto attendendam magis, quanto major & evidentior,



dentior, illam inter & rem ipsam intercedit convenientia, ipsiusque materiae natura, necessitatem interpretationis talis nobis injungit; variarum exceptionum modos hic in medium projiciunt, qui aliam & contrariam fovent opinionem. Illas itaque nunc dispicere, altiusque non nihil perpendere, operæ forte erit pretium. Et siquidem compendiosa viâ, per selecta hic progredi animus est, illud quod ut basis, primo loco in articulo præsentis, adferri solet substernique, inspiciendum est primò & præcipuè. Istud vero est *Devech hallaschon* seu lingvæ ipsius consuetudo, Græcis *ιδιωτισμός*, quæ nihil aliud est quam Lingvæ cujusque affectio peculiaris, secundum quam ab aliis in diversum abit, neque cum iis convenit quoad constructiones quasdam, & modos nonnullos loquendi sibi peculiares; cujus etiam intuitu sibi ipsi semper non est similis, sed recedit nonnihil à regulis communissimis, quarum ductum alias & frequentius

sequitur. Hujusmodi idiotismum Hebrææ Lingvæ, quidam ex Doctoribus hebræis, in *Bara Elohim* nobis assumpto, apparere ajunt, quandoquidem in illa obtineat pluralis pro singulari, singulare item verbum cum plurali nonnunquam construatur, ex quodam linguæ istius usu, ac domestica indole. Ad quod i. quidem fatendum, dandumq; facile, agnoscere proprietates hujusmodi, ac idiotismos suos, linguam Eberinam non minus quam alias, quibus ab iis distingvitur, quod vel ex sola duplicatione relativi patescit, cujus si ex aliis lingvis notis petendum foret judicium, iteratum illud, semel positum sufficeret. Exempla hujus idiotissimi sunt benè multa, ex quibus etiam illud Psal. I. v. 3. *Ascher puzo* cujus fructus ejus scilicet *Ez* arboris; Affine huic v. II. C. I. Genes. sc. *Ascher savo bho*, cujus fructus ejus in eo &c. Hinc Canonem formavit 26 sequentem lib. III. Tract. II. pag. mihi 537. beat. Doct. Glassius: *In usa hebræus quoq; est, duplicis relati-*  
*vi posi-*

vi positio, cum sufficeret unum. Quod & Graci quadoq; imitantur. Et mox: Affixum & integrum Pronomen quandoq; concurrunt, cum eleganti Emphasi. Applicentur quæ modo adducta sunt. Neq; etiam 2. diffitemur, nullam *Is Derech ballaschon* aliquando assignari posse causam, aliam, quam consuetudinem gentis atq; usum sermonis, cujus forte rectè statueris paradigmata repetitiones pronominum in nonnullis locis: Nonnunquã autem aliquam sed subobscuram, & incertam admodum, uti in illo loco ubi Daniel fortis infimæ homo, ex gente captiva, coram Rege ac Domino, qui infinitam fere & pene divinam sibi arrogavit majestatem, verba faciens, in <sup>*mirabili*</sup> ~~tertia~~ de se ipso loquitur persona: Hoc somnium & interpretationem ejus dicemus coram Rege. Super qua re variant sententiæ. Nudus hic merusq; posset prætendi linguæ genius, neq; enim hic locus erat potentia suæ meminisse coram rege commoto, so-

licito & irato. Prudentiæ suæ intuitu  
 virtutumque splendidissimarum ita di-  
 xisse Danielem, modestiæ ejus adverfa-  
 tur. Fiduciâ divinæ & misericordissi-  
 mæ revelationis, ipsum tam magnifi-  
 cè de se sensisse potuisse, incommodum  
 non videtur. Socios suos illum hic respe-  
 xisse, non displicet interpretibus ma-  
 gnificis. Quamquam idiotismorum a-  
 liorum rationem conspicuam satis es-  
 se, iterum *ἴαν ἀμφοῖν* largiri necessum  
 fit. Affirmamus 3. in præsentia cum  
 Doct. Varenio ex ipsius decadibus, in  
 nostra quoq; constructione reperiri a-  
 liquid, quod idiotismum sapiat, *quate-  
 nus scilicet per illum collectivum & distribu-  
 tivum, in pluralitate unitus, & in unitate  
 pluralitas inculcatur.* Ad eundem mo-  
 dum Gen. I. 14. dicitur. *ἔβη ἑωραῖς*  
*fiat luminaria*, id est unum quodque  
 luminarium, juxta quem idiotismum,  
 quod asseruimus in superiori conclu-  
 sione, perstabit; & nostrum *ἕκαστος*  
*ita explicabitur: Creavit persona Divina,*  
*id est, unaquæq; personarum creavit, in una*  
*& tri.*

tribus deitatis personis communi deitate, qua  
 iterum sunt verba D. Varenii. In hunc  
 sensum illud etiam *Vajjerner Elohim*, to-  
 ties in primo capite ingeminatum, ac-  
 cipi debet. Pernegamus autem 4. I-  
 diotifinum, ut ab adversæ sententiæ  
 Patronis accipitur, hic in nostris ver-  
 bis locum habere posse. Neque enim  
 ullo modo nudum aut merum *Derech*  
*ballaschon* cui nulla nisi usus subfit ra-  
 tio, quodq; significationes vocum ni-  
 hil concernat; vel etiam *Derech haccab-*  
*hoadb vehammaala* hoc est: usus vel  
 lingvæ nudus, vel dignitatis, aut etiam  
 eminentiæ respectus aliquis, hic loci  
 admitti potest, nempe propter ratio-  
 nes superius adductas, 1. Analogiam  
 grammaticam, 2. Convenientiam rei  
 & rationis, hoc est ipsorum verborum  
 tanquam signorum cum suis rebus  
 quas indigitant; in quibus tamdiu sta-  
 mus, donec incertitudo aut falsitas e-  
 arum demonstratur, quod nunquam  
 fiet. Certum equidem adhæc est ex-  
 empla dari *Derech haccabhadb* juxta il-

lud R. Aben Ezra *Col laschon jeseb lo  
 aberech baccabbodh* ; hoc est. *Omnis  
 lingua habet consuetudinem honoris*, quod  
 apparet cum de uno Pharaone dicitur.  
 Gen. 40. *Domini suis Regi Ægypti*  
 quod etiam propter *Ribbui baccabhoth*  
 pluralitatem potentiarum, comòdè de  
 eo prolatum affirmares, ceu etiam di-  
 citur de uno Josepho ut alias sæpius,  
 ita Gen. 42: v. 30. 33. *Adone baarez* Do-  
 mini terræ ; quemadmodum clarissi-  
 mum quoque est Gloriosissimo nostro  
 & Potentissimo Deo, excellentissimam  
 majestatem, virtutum & potestatis in-  
 finitos abyffos competere; ista tamè hic  
 primariò & principalissimo modo in-  
 digitari nequeunt, quamdiu interiora  
 & abstrusiora suppetunt, quæ naturali  
 magis, & propria ratione significare  
 possunt ex sua indole adhibitæ nobis  
 voces. De cœtero autem, si fastigii &  
 & eminentiæ summæ denotandæ cau-  
 sa, pluralis numerus de Deo effertur,  
 cur id tum semper non venit usu, cum  
 DEus semper & ubique glorifican-  
 dus

dus fit? Vel dicendi eò sunt, perpe-  
 ram illi de Deo scripsisse divini Scri-  
 ptores, qui singulari numero eum &  
 nominarunt & significarunt, ejusq; ita  
 majestatis gloriam neglexisse quo-  
 dammodo, aut saltem studio debito  
 non attendisse, cum pluralis fuerat  
 adhibendus. Et sane si propter excel-  
 lentiam usus esset pluralis, præprimis  
 ac necesseriò essentialè nomen Jehovah  
 ita fuisset inflectendum. Quas rationes  
 omnes, elegãter ac solide vide deductas  
 Jacobo Mart. in de Tribus Elohim l. i. c. 3.

CONCL. 13. Quod si quis, ex allatis  
 modo pro *τ̃ Derech baccabodh & Rib-  
 bus baccoboth* declaratione, nempe ex  
 voce *Adonim* & ipsi affini *Bealim* utraq;  
 juncta singulari numero, eoq; honorem  
 excelsum, virtutum & potentiarum a-  
 xiomata designante; vellet idem de  
 nomine ELOHIM, ejusq; structura aliis  
 cum voculis inferre, idque adeo regu-  
 læ ac canoni, cui priora subsunt, subji-  
 cere, qui proponitur à Doct. Glass. p. m.  
 441. verbis sequentibus: *Specialius no-*

*mina appellativa, quæ dominium notant, ex  
 proprietate Lingvæ sanctæ, numero plurali pro  
 singulari efferuntur. Et post pauca: sunt au-  
 tem nomina ill. Bzai & Auõ. Respicit v. ad ca-  
 nonem proxime præcedentem 24. qui  
 ita habet: Pluralis numerus pro sin-  
 gulari quandoque ponitur ad denotan-  
 dam magnitudinem & excellentiam. Si  
 unquam quis hoc intenderet, ipsi ex-  
 templò oggerendum. 1. Malè supponi  
 ab ipso eandem naturam vocum *Bealim*,  
*Adonim* cum *Elohim*. Designant illa for-  
 maliter dominium; & juxta etiam sunt  
 appellativa, unde ad regulam quadrāt;  
 hoc vero non item, quia Nomen Dei  
 proprium. Deus quidem est Dominus  
 dominantium, sed dominium illud, hac  
 voce formaliter non exprimitur, quæ  
 verba sunt laudati modo auctoris, qui  
 & ultra consulatur. 2. Meretur hic at-  
 tendi vulgata regula: Verba intelli-  
 genda sunt secundum substratam ma-  
 teriam. Jam vero, quod iterum ite-  
 rumque ingeminamus & urgemus,  
 illud*



illud quod notione ELOHIM indigitatur, non est tale ut considerari debeat potissimum ob excellentissimam & infinitam potestatem, loquimur nunc in sensu formali, sed quam maximè ob essentiæ simplicissimam unitatem, & quandam in illa pluralitatem. Duo autem alia ista nomina, sua denominant subjecta, præcipuè ob respectum potentiæ, virtutum, honoris &c. Cumque adeo illa etiam ob certos hos respectus in numero multitudinis usurpantur; cur absq; ratione ELOHIM ita poni sentiendum? In sumum ergo abeunt quæ nisi summo de similitudine dictarum vocum omnium, pag. 15. de voce Elohim, ut diversum obtineat, congerit Drufius. Concludit ita: *Nos ab hebrais didicimus, tria vocabula esse, quæ terminatione plurali, sensum continent singularem. Sunt autem Elohim Adonim & Bealim.* Simile iudicium esto de loco Buxtorf. l. II. Thes. Cap. 2.

CONCL. 14. Neque instanti, ex usu lingvarum, ob personas illustres ad

ad earum dignitatem describendam, adhiberi numerum multitudinis, quidquam concedendum in hoc puncto. Quia I. Quarum est hæc consuetudo lingvæ, Sanctæ nostræ nullam formam præscribere queunt, quippe quæ simplicitatis amans, in illa decorem & gloriam suam sitam habet, unde 2. vulgaribus lingvis Gall. Germ. Svet. Ital. suus relinquendus habitus ac cothurnus; quinimo etiam Agarenæ, quam itidē consuetudine honoris carere negat Aben Esra, citatus Drusio Var. Sennerto &c. suum genium permittimus, quod cum asserimus ea 3. nequaquam destruimus quæ superius admissa sunt quando *רש דרעה באמאא* facta est mentio. Tantū vero hoc dicitur, in scriptura usum non esse, propter fastigium summum, personam unam de se loquentem, uti verbo plurali. Nomina enim sic venire plurali forma, propter personæ dignitatem concessum, quod de nomine ELOHIM Deo tributo affirmari nequit cum ob

ratio-

rationes alias, tum eam nunc nominandam, quod adhibitum sit hic plurale, singulari suo non destitutum, quod ipsum afferre, vel etiam alia, excellentiam & potentiam innuentia, ut *El Schaddai Zebhaotb*, nisi res ita ob alium respectum debuisset exprimi, divinis amanuensibus fuisset facilimum.

CONCL. 15. Indagatur ultra vocabuli nostri vis signandi, invenitur autem ea, elicitur & infertur sensum esse omnino singularem, ut terminatio aliter se habeat, quod ne frustra assertum videatur, trahuntur in partes, & ad causam illustrandam accersuntur nomina ex lingvis aliis, multitudinis quidem quoad terminum, Thebæ, Liberi, Athenæ, significationem habentia nihilominus singularem, quam iterum, sufficiētibus παραδείγμασι, de uno idolo, uno vitulo, quin & uno homine Nomen nostrum expressum dictitantibus, rursus gratis negari autumant. Reponendum ad hoc telum i. retundi istud facilè, vel ex iis quæ toties inculcata sunt

sunt de natura nostri ELOHIM, quæ  
 ferre recusat allati genus interpreta-  
 menti: Attamen quia nova est species  
 propositæ rationis non negandum  
 dicimus esse non paucas voces, qua-  
 rum quidem flexio fit pluralis, sensu  
 nihilo fecius manente singulari, ceu pa-  
 tet vel ex allegatis voculis, quibus ad-  
 dere ingentem catalogum non foret  
 difficile, uti similia etiam Hebræis exi-  
 stunt ut *Neburim Sekynim* &c. Confer *Wasmuth. Heb. Rest. p. 72.* Istas tamen 3. nihil  
 in instituto nostro probare, ob diversif-  
 simam naturam & planè discordantem,  
 conspicuam in eo quod careant ista  
 singulari, quo instructum est hoc no-  
 strum, tum quoad formam, tum quoad  
 usum, in qua forma cum tam crebrò  
 non adhibeatur quam pluralis, certo  
 nobis est argumento singulare quid-  
 piam, quod à mysterio non abit, hoc ip-  
 so manifestè prodi, quod ipsum sub-  
 olfecit quidam Rabbi qui dixit alicu-  
 bi: *Lo jimax. lesehon rabbim im hasch. hē ban-  
 nichbadh rok al schem Elohim Lesodh bamnk:*  
 nume-

*Numerus singularis non reperitur cum nomine benedicto, nisi in nomine Elohim, idque propter profundum mysterium. Tralatitio 4. sensu, aut δεισιπώς, vel ἐπινομίως & κατὰ χριστιανῶς hanc appellationem accipiendam, quando eâ res unica describitur, etiamnum ut antea definimus, nec in eo mutamus quicquam. Nempe uti subjecta variant, ita quoq; variè ipsum prædicatum iis attribuitur, unde prædicationis discrepantia, nomine ipso ad res omnes quas denominat, æque non quadrante. In specie vero uni idolo quandoque defertur signum *Elohim*, ob convenientiam quam habere existimatur cum DEO vero, illud aliàs turpissimum *Elil*, quod ipsum licet in se nihil sit, indeque nulla prorsus ratione tanto nomine insigniendum, pessimeq; insignitum; ex opinione tamen hominum idololatrarum, divini quid huic inesse existimantium, eoque sibi imaginantium divinas perfectiones, virtutes, essentiæ rationem; appellationem*

nem quoq; maximâ re dignam, titulumque adeo excelsum adeptum est. Ut adeo uni, verum non sub conceptu unitatis, sed pluralitatis cujusdam, ista notio aliquando sit assignata. Quibus ita se habentibus, neque hæc, aut objectiones aliæ quæ oggeruntur, tanti sunt ponderis, ut ruinam minari, nedum accelerare queant argumento, quod pro pluralitate in divinis, à numero ducitur, ceu judicat Rivetus in Exer. suis in Gen. & quidem pag. 8.

CONCL. 16. Occurrit nunc juxta nostrum institutum unum, quod pluralitati isti quam quæſivimus, invenimus, confirmavimus, defendimus etiam hucusq; , maxime officere, & eam si non disturbare, saltem impeditam atq; ambiguum reddere apparet. Illo enim sensum pluralem, quem quoad supposita haberi in nostris verbis, nitimur adstruere, labefactari vel destrui, metus suboriri posset non bene hic confirmato atq; munito animo. Illud vero est quod *Elohim* veniat pro una certa  
 persona

persona in divinis, aliis contradistincta,  
 in qua, quum pluralitas talis, nulla af-  
 ferri possit, qualem hic sectamur, fru-  
 stranea hæc cura dicenda est, unde e-  
 tiam de tota constructione quæ hic dis-  
 cutitur, ita pronunciat Clarissimus  
 Leusd. in Philologo suo hebræo diff. 32:  
*Ex tali constructione non potest probari plu-  
 ralitas personarum, quia sapissime verbum sin-  
 gulare conjungitur cum nomine plurali ubi  
 tantum sermo est de unica persona, ut fidem  
 faciat dictis inter alia locum ex Psal.  
 45. 8. Elohim Elohecha mescabbach unxit te  
 DeusDeus tuus. In hoc textu, verba sunt  
 Clariss. Leusd. sit mentio trium personarum,  
 & verbum singulare MESCHAHHACHA, no-  
 mini plurali ELOHIM conjungitur, quod no-  
 men plurale in eo loco solum Patrem denotat.*  
 Verum I. respondemus non immerito  
 dubitari de eo, utrum ὁπὸς αὐτῶν de u-  
 na & certa aliqua persona, vocabulum  
 ELOHIM in allegato commate adfera-  
 tur, quod tamen explanare nostri non  
 est operis. Non certe concedit id i-  
 psium nominatissimus Varen. ad hunc  
 C locum

locum quem si lubet adeas. Pro nobis autem 2. si ex liberalitate, hoc tantisper largiamur, diluet quod objectum est, Philologus hodie inter præcipuos celeberrimus Dn. Andr. Sennertus, Senior totius Acad. Witteb. Is qui solertissime hoc etiam argumentum pertractavit, ita alicubi infit. *Porro jam inquamus ergo, Nomen Elobim DEO vero attributum in sensu quidem tralatitio hoc sive modificato, nempe singulari, non unum Deum denotat ratione sue ἑσίας, vel in unitate nature sue; licet hunc fortassis consecutivè quidem; quia quod numen summum in personis trinum, idem ἔ unum unitate nature sue; Nam propria nativa atq; formalis ratio hujus nominis est, non singulariter sed pluraliter significare, non unius rei denotare unicam essentiam, sed inferre multitudinem quãdam, eamque adeo in Deo, utpote natura intelligente, personarum quidem. Et paucis interjectis: fitq; extra dubitationem omnem id jam, ut nempe in sensu singulari valeat id nomen, ἔ singulis personarum semel atq; iterum adhibeatur, per accomodationem quandam, ἔ in sensu adeo, modificato certa ratione quadam; quia scilicet una illa, cui applicatur*



catur, persona est ex earum numero, quibus si-  
 mul atq; semel, vel collectivè sumptis alias atq;  
 in sensu suo nativo adhibetur; ideoque quia  
 non solitariè Deus est, persona illa, sed una cum  
 reliquis duabus. Adscribenda quoq; nonnul-  
 la adhuc ex eodem Authore laudato verba, quæ  
 in eadem rem profert iterum non multo post:  
 In sensu singulari deniq; uni persone ideo ad-  
 hibetur, puta Elohim, quia singula hæc inquit  
 mus, vel una illa, cui hunc, in modum accom-  
 modatur, persona ex numero reliquarum fit,  
 ut supra diximus etiam, quibus junctim xv-  
 ejus quidem & propriè alias adtribuitur; ad-  
 eoque in summa quod sicut omnibus personis vo-  
 cabulum hoc junctim quidem & collectivè, re-  
 stitè & propriè attribuitur, ita eum postea etiam  
 earandem singulis vel uni certè  $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\rho\omega\varsigma$  ad-  
 bibeatur nonnusquam, sed  $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\rho\omega\varsigma$  inquit  
 repetimusq; notanter, nonnihilq; varius etiam,  
 dictis modo de causis. Exspirant haud du-  
 biè, rite his pensitatis, quæ modo ex  
 Leusd. prolata, ut & quæ idem Author, a-  
 lias de re literaria hebraica dudum me-  
 ritissimus, in Clave sua hebraica pag. 2.  
 ad has voces, de enallage numeri & a-  
 liis adnotavit, ut adeo stare adhuc fir-

miter videatur perstetq; , quod hæc-  
 nus in nostra constructione vindicavi-  
 mus *Ribhur*.

Concl. 17. Neq; etiam ambigendum  
 existimo multum, utrum non capi pos-  
 sit stringiq; in præsentia aliquantulum  
 ex eo, nominatus cum honore, & no-  
 minandus semper *Leusd.* quod non  
 aversetur, sed probet planè argumen-  
 tum pro pluralitate in divinis, peti-  
 tum ex modo isto loquendi de se ipso in nu-  
 mero multitudinis *NAHASEH*, quo uti-  
 tur Deus Gen I. 26. cujus quidem as-  
 serti firmitas maximopere approban-  
 da, est irrefragabilis, eo quod repugnet  
 consuetudini & genio linguæ Sanctæ,  
 verbi pluralis personam primam, de  
 persona singulari, honoris causâ effer-  
 ri, utut ejus conditio sit illustrissima,  
 Sed & pluralitatem quandam insinuare  
*Elohim*, idem *Naaseb* docet, si ad *Elohim*  
 referendum est, uti omnino fieri debet.  
 Nullus enim alius *Naaseb* dixit, quam  
 illæ personæ *Elohim* de quibus in pro-  
 ximis illud *vajjomer* dicitur, quod ne ne-  
 gari

gari quidem putaverim, utpote cum textus personas dicentes VAJJONER Elohim, & proferentes vocem sermonis seu orationis sequenti NAASEH, quam proposuerunt efferre, easdem esse arguat apertissime. Itaque si pluralitatem importat, NAASEH eandem etiam necessario significabit, subjectum hoc Elohim. Atqui pluralitatem indigitari in NAASEH concedit Leusden. Ergoneq; illam per τὸ Elohim innuigari potest, id ipsum vocabuli formâ, & rei indole, aliisq; rationibus, prius sparsim & fusè introductis, stabilientibus, quod fuit demonstrandum.

Concl. 18. Tollendus porro scrupulus, â quo impedimentum aliquod propugnatae sententiae metuendum. Vox *Elohim* in superioribus dicta est singularem habere *Eloah*, quæ essentialiter significat, hoc est essentiam Dei simplicissimam denominat. Ipsius plurale, cujus hic explanatur ratio significandi, si sensu itidem plura diceret, seu id pronunciatum liberè non semel; ex ha-

bitu singularis sui, ex quo inflectitur in hanc terminationem, plures Deos essentia diversos subinnueret, seu unitatis numerus unam essentiam infert, quod hæreticum foret, & in divinam majestatem impium. Aut ergo falsa est deductio probata hæctenus, aut sequetur modo quod damnavimus. Resp. ut damnat religionis sanctitas puritasq; *πολυθεϊαν*, ita arreptæ formationis integritatem reddunt manifestam, ista quibus illa prius est confirmata, tum illa quæ ad diluendam objectionem adferentur. I. Obscurum ignotumq; non est, voces non paucas induere aliam significationem in plurali & diversam ab ea, quâ gavisa sunt in singulari, quod nunc vel unica vox *sales* demonstraverit, ut mirum non sit 2. plurale Elohim paulo aliter signare, personas nimirum sui singularis ELOAH, illo interim essentiam denotante quæ omnibus personis fit communis. Atq; hujus quidē significationis ejusq; diversitatis in diversis numeris, fundamentū iterum

rum arcessendum est ex re ipsa designata, quæ ita comparata est ut pluralitatem quidem admittat, quantum ad hypostasies, eam vero respectu essentiæ, cum sit simplicissima, ferre nequeat ullo modo. Gratis igitur iterum in allata dissertatione sequentia scripsit Clar. Leusd. *Numerus pluralis differt à singulari non in significatione, sed tantummodo in pluralitate*, quæ ut in multis exemplis fidem merentur, ita in vocabulo Elohim locum habere nequeunt.

Concl. 19. Videndum nunc tandem, si quid opis atq; illustrationis, ad argumentum nostrum ejusq; assertionem, eruere adferreq; promptum sit ex translationibus ac versionibus aliis, in quo negotio, præcipua laus & cura operæ philologicæ sita sunt. Vel si id succedat minus, contingatq; illas ita potius comparatas esse, ut adversum præ se ferre non tantum, sed & svadere videantur; quomodo in isto articulo removeri obstacula, viaq; inveniri queat, quâ componantur quæ colliduntur in-

ter se, allaborandum. Separatim sub initium opellæ hujus, propositæ sunt voces in versionibus usurpatæ quæ ideo facilius sistuntur si tantum conjungantur. Producemus versiones linguarum eruditarum, ex splendidissimo illo opere biblico anglicano, ubi Paraphrasis Chaldaica quæ hic est Targum Onkelosi verba *Bereschith bara El him* effert: *Bekadbin bara Jehovah*. In quibus manifestum est, non haberi nomen personale, respondens τῷ Elohim sed essentiali *Jehovah*, & tanto quidem minus plurale aliquod, cujus eadem vis esset significandi, quæ τῷ ELOHIM, quod familiare esse huic Paraphrastæ per hoc caput integrum nunc observandum est, cujus ratio nulla alia esse potest quam mystica vocabuli *Elo im*, incommunicabilis Chaldaismo, cum verbo singulari conjunctio. Syrus his rem expedit verbis: *Bereschith bara Aloho*. In quibus singulare *Aloho* Deum denotat. Arabica versio itidem nomine singulari hanc exprimit sententiam: *Awwalo*

*ma chalakal, labo* Primum quod creavit Deus, ubi *Allabo* ex articulo *al*, ob quem etiam tanvin seu nunnatio in Dshamma perit, & ILAHON peculiari forma fit nomen proprium respondens τῶ Jehova juxta Jac. Gol. ad hanc vocem pag. 144. Non abit ab his translatio Græca quæ 70. Interp. vulgo adscribitur, & notionem Θεός hic loci adhibet. Consentiant his latini, locum per vocabulum *Deus* exponentes. Ex linguis vulgatiorebus versio Germanica ita habet: *Am anfang schuff Gott.* Sveca *J beagnnellen stapade Gudh.* Finnica. *Uusa lei Jumala* Anglus sequenti modo vertit: *In the begining God created*, ubi singulari *God* non plurali *Gods* utitur interpres. Neque aliter Gallus hæc exposuit: *Dieu crea au commencement* qui itidem singulare *Dieu* adducit, non *Dieux*.

In translationibus istis omnibus nullum pluralis apparet indicium, ex quo colligi possit interpretes illos rationem

habuisse pluralitatis illius in Elohim quam sectamur. Omnes namq; locum reddiderunt voce singulari, quæ Essentiale Dei nomen propius attingit quam personale, unde nihil ex versionum compositione, quod assertionem propositam firmet, dimanat, quin potius si simpliciter illæ acceptandæ, deferendum foret quod tanto applausu hactenus est propugnatum. His tamen non obstantibus, quod jactum semel, retinemus arctè arbitrati positioni nihil derogare istam translatorum diversitatem, quam non profluxisse ex eo sentiendum est, quod adhibita vocabula ex asse respondere existimaverint, aut reddendæ vocis vim ignoraverint; sed quod defectus nominum parallelorum, & exacte idem significantium in lingvis peregrinis, prohibuerit, vel impediverit, synonymo signo rem eandem designare. Atq; hoc quidem ejusmodi est, quod continua experientia firmatur, cum nihil in versionibus frequentius notare liceat, quam â fontibus non  
 nihil



nihil recedere illa quæ idiomate novo sunt traducta. Cujus quidem rei causam subolfacere non est difficile, dum notamus unamquamq; linguam habere singularia nonnulla, ex quadam nativa indole, quæ in aliam peregrinam linguam, manente virtute ista intrinseca, ac simplicitate ingenita, eâdem brevitate nequaquam possunt transfundi. Quamquam enim juxta hæc negari non debeat, circuitionibus quibusdam, peculiaria hujusmodi, si non plenè, saltè aliqua ratione & non inconvenienter tradi posse; quemadmodum etiam modum talem quoad nostrum locum quidam demonstravit: Versiones tamen quæ compendiosâ amant efferi formâ, hujusmodi diffusas circumlocutiones, ubiq; quæ tum iterari postularent, ferre nequeunt. Adhæc accedit, has versiones quarum catalogum texuimus, ita esse comparatas ut consequenter etiam, etsi non primò & immediate, pluralitatem illam 78 Elohim insinuent, quandoquidem

Deus

Deus ille, ac divina *ἁγία* quam indigent præcipuè, eadem fit, in qua plures illæ *ἁγίαι* subsistunt, ut adeo nihil solidi hic subsit, quod à statione quam occupavit, valeat animum dimovere.

Concl. 20. Itaq; ipsi, qui inspexerit atq; norit, quæ nunc à nobis dicta sunt, ea nequaquam officient, vel negotium faceissent, quæ nectuntur ab authoritatibus Hieronymi & 70 Interp. qui locum de quo in præsentia disquiritur interpretati, usi sunt notione non plurali Dii vel *Θεοὶ*, sed singulari, idq; perpetuò. Præterquam enim quod i. huc applicueris non inconveniënter censuram Fulleri, quam Miscell. libr. II. Cap. IV. de versione nominis JEHOVAH apud 70. Interp. hoc modo adhibet: *Septuaginta interpretes, sanctissimi doctissimiq; viri, gloriosum Dei nomen Jehovah ubiq; ferè κύριον, id est, Dominum; quandoq; Θεὸν id est, Deum transferre solent. Non quòd aut vim vocis ignoraverint (id præstanti eorum eruditioni repugnaret) aut superstitione quadam obligati ita fecerint. (Id summæ eorum pietati adversaretur) Sed primo ut ad intel-*

intellectum communem, cui maxime scripturam sacram destinatae sciebant, sese accommodarent. Etiam 2. κρινόμενον idipsum nunc est, utrum dictæ voces pluralis formæ, respondeant ἱε̅ Elohim; unde loco ἰσοθεότητος tanquam indubium vel concessum illud substerni non debet, tanto sane minus quia negandum omnino est, concurrere istas voces cum *Elohim*, eo quod, ut patuit modo, diversam significandi naturam habeant, respiciantq; essentiam proximè, nostro interim manente personali. Unde 3. offenderentur aures piæ, & veræ religioni assuetæ, si ita proposita essent verba: *In principio creavit Dei.* Propositionem enim talem, vix acciperent, absq; πολυθεότητος alicujus sensu. Etenim ut 4. singulare, verè divinam essentiam importat, ita nec aliter se habere posset, quod inde formatur plurale, quod de Deo vero prolatum, summum horrorem incuteret religioso animo, animadvertenti præprimis Ethnicorum cæcitatem, qui crassissimis tenebris im-

mesir

merfi, plurima coluere idola, eaq; nōmine Dii appellitarunt, unde non leuiter prophanatum est idem plurale, sensumq; retinet prophanum, cum primò & frequentissime gentilium denotet Deastros & *Elohim*.

Proinde 5. Inferimus non fuisse fas ob tantam discrepantiam, interpretes dictos, *Elohim* in versionibus explicare per θεοι vel Dii, siquidem id absq; veritatis detrimento, non potuisset fieri, accedente ad id, quod apposita vocabula quadantenus, etsi non πρώτως tamen δεύτερας, declarent naturam Ἰσ̄ *Elohim*.

Concl. 21. Clausulæ tandem loco, libere & constanter, moti hucusq; deductis rationum fundamentis, nec non deprehensâ sententiæ adversæ infirmitate, concludimus, in locutione nostra *Bava Elohim*, exhiberi clarissimè, oculis illuminatis, partiumq; & opinionis studiis non abreptis, aut impeditis, istam simplicissimam unitatem, & in illa pluralitatem eam, quæ verbis aliis, in aliis locis

locis quibus assentiuntur facillime *οἱ υἱοὶ ἀντιλέγοντες*, evidenter revelata est & proposita. Nempe ut vocabula ipsa seorsim, Elohi <sup>n</sup> quidem plurale, proprium, & unicum personale nomen Dei, pluralitatem personarum innuit; verbum autem singulare ex sua ingenta naturali vi, quoad sensu <sup>n</sup>, unam essentiam creatricem repræsentat: ita eadem conjuncta, integraq; adeo constructio, unum & plura proponunt expresse, hoc est, uti supra ex Doct. Varenio patuit; pluralitatem in unitate & unitatem in pluralitate inculcant. Quia hæc omnia rotundè simul etiam nervosè expressit pro more suo Doct. Glasius Phil. Sacr. Libr. III. Tract. III. p. m. 663. ipsius huc transcribere placet verba: *In hac locutione loquitur de nostra & alijs ejusdem generis μυστηριώδες quid est. Innuitur enim illa augustum pluralitatis personarum in una essentia divina mysterium. Pluralitas personarum nomine plurali; unitas essentia verbo singulari denotatur. Quo pertinet, quod inverso ordine nomen singulare*

gulare Eloab, conſtruitur cum participio plu-  
 rali. Ubi eſſentiae unitas nomine ſingulari,  
 perſonarum pluralitas participio plurali in-  
 dicatur. Quod ſi vero nomini Eloabim ver-  
 bum plurale addatur (uti & adiectivum vel  
 participium plurale, quo pertinet, quando  
 alij nomini plurali, Deo attributo, partici-  
 pium plurale ſubjungitur) cum pluralitas  
 illa perſonarum expreſſius denotatur. Ita di-  
 ſtinctis modis & phraſibus Spiritui Sancto pla-  
*chit* mysterium hoc Sacroſanctum inſinuare. Qua  
 propter cum Merſenno, in Quaſtionibus ſuis celebr. in Gen. p. 7. Proble<sup>m</sup>.  
 2. a<sup>m</sup> plius multis requirere non eſt o-  
 pus, quare Deus hoc, initio Geneſis, nomen  
 in numero plurali conſtitutum habere voluit?  
 Scilicet reſpondetur eam quaſtionem,  
 facile ſolvi ac explicari ex ipſis verbis,  
 modo attendatur har<sup>m</sup> onia illa a<sup>m</sup> icif-  
 ſi<sup>m</sup> a, qua<sup>m</sup> hic concordant ipſa cum ſuo  
 ſignato ſigna. Ita in conſeſſo eſt hic  
 etiam loci conſpicuum eſſe illud D. D.  
 Hebraeorum Battorab aphuu utb abbatb.  
 Schejn jesch bah thelnjim bararin gedbalin:  
 Non eſt in ſcriptura vel una litera, ex qua non  
 dependent montes magni. Sunt fane in  
 pra-

præsenti quoq; loco, montes magni non tantum, sed maximi & excelsissimi, quos credimus hic designari tanto promptius, quanto est certius ex revelatione, illos dari. Frustra etiam Sixtinus Amama gloriatur lib. 2. Antibarb bibl. pag. 282. nobis probatae sententiae debilitatem, ab innumeris ostensam, cum satis superq; patuerint, quae firmitatem ipsius praestant immotam. Unde addendum nihil, nisi quod Lombardus Sententiarum Magister, si hanc, ut ea ipsi tractatur lib. 1. dist. 2. primus invenit vel propagavit sententiam, ut ex mente Cajetani, placet Riveto Exerc. 1. in Gen. p. 7. aliisque, nequaquam in eo fuerit Longobardus, utpote qui id asseruit, quod Spiritus DEI ipse, in exordio revelati verbi sui, non obscure aperuit. Hanc ipsam veritatem edocti & amplexi, ipsi qui eam nostras imbuit mentes, & in gratiosae revelationis suae primis lineis ac verbis nunc consideratis,

D

ipsam

ipsam designavit, uni DEO glorioso,  
Patri, Filio, & Spiritui Sancto illud of-  
ferimus holocaustum.:

Αινεῖτε τὸν Θεὸν ἡμῶν πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, καὶ  
οἱ φοβούμενοι αὐτὸν καὶ οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι.

### ADDENDA,

Puncta quæ nomini glorioso  
JEHOVAH subjici solent, pro-  
pria ipsius sunt, non vero τῷ  
Adonai, unde nihil prohibet  
hoc nomen eo modo efferri,  
quo amant literæ ejus atque  
vocalia, quæ etiam lectio verus  
genuina est & Mosaica.

Non tamen negandum planè no-  
men hoc certa ratione dici &  
esse ἀνεκφώνητον.

Nugas



Nugas & commenta sapiunt quæ  
 Judæi de miraculis Jesu & Mo-  
 fis, virtute vocis SCHEMHAM-  
 PHORASCH editis, blaterant.

Præstigiis diabolicis, artibus ma-  
 gicis & fabulis multa sunt ac-  
 centenda, quæ de BATH KOL,  
 id est filia vocis, in Apellarum  
 scriptis memorantur.

Uti incerta est originis ratio, vo-  
 cum CHRETHI & PLETHI in sa-  
 cro codice nominatarû, ita ob-  
 scurum est quid signent eædem  
 quoad res. Comodissimè tamen  
 hic sentire videntur ii, qui no-  
 mina hæc esse patronymica  
 vel gentilia, & milites electos  
 ex certa gente aut familia, pe-  
 ritos

ritos, fortes & robustos, à Da-  
vide & Salomone in corporis  
custodiam ut satellites assum-  
ptos, significare contendunt.

Potior est deductio vocis PHARISÆ-  
us à rad. *Parasch* cum *separare*  
significat in NIPH., quam ubi  
per *ῥ* *explanare* effertur; uti etiã  
SADUCÆUS rectiùs ab Autho-  
re sectæ Zadok, quàm à *Zedbek*  
justitia derivatur.

